



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Selectiores aliqui ex Illustr. Scoti Scholâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

mus, an consecrans sit Sacerdos, &c. quia tamen probabiles de opposito habemus conjecturas, possumus, ac tenemur adorare Hostiam a Sacerdote expositam, quia per tales conjecturas sumus practice certi esse licitum. Hæc ferè ad verbum. Ecce in terminis nostra sententia, tum quod solum iudicium reflexum de probabilitate satis sit; tum quod etsi simus directè speculativè incerti de veritate, & honestate objecti, possumus tamen reflexè fieri certi de licentiâ actionis. Mirabile autem est, quod alibi, nempe *tom. 3. dissert. de Probabilitate*, totum hoc impugnet: & *tr. 9. disp. 1. de Justific. impij n. 165.* ait, probabilius esse, quod actus spei formalis non requiratur ad justificationem, satis virtualis: & *disp. 2. n. 36. ad finem*, relatâ duplici opinione, una tuente Henoch & Eliam hodie mereri, aliâ negante, ait: Quid horum probabilius sit, Lector judicabit: & *tr. 10. d. 4. n. 90.* ait: Videtur probabilior sententia docens Summum Pontificatum esse de jure Divino, & non tantum Ecclesiastico, annexum Episcopatu Romano.

N. Et *tom. 3. tr. 1. d. 4.* relatâ triplici sententia circa composibilitatem peccati cum visione, ait de sententiâ negante, quod sustinetur ut probabilior à Joan. à S. Thom. ab Ildeph. à Serra, & alijs Thomistis: & *disp. 5. n. 56.* ait: Respondet Sotus in *4. disp. 49. qu. 5.* probabile esse quod talis decor specialiter fulgebit in capite; loquitur de Aureolis Beatorum. Superiedo ab alijs ejusdem Authoris locis satis obviis *tom. 3. 2. & 1.* cum satis superque sint quæ ex eodem dedi. Hoc tantum rogo, quomodo sæpe unice ad solam probabilitatem, immò probabilitatē veritatis opinionis accurrat, dimisso omni iudicio directo, cum tamen in *dissert. de Probabilitate* hoc neget? Rursus quomodo sæpe alserit utramque opinionem esse certò probabilem, cum tamen simultaneam probabilitatem neget? Fateor me sæpe advertisse Probabilitatem sui oblitisci, & doctrinam, quam in *tract. de Probabilitate* impugnant, alibi apertis ulnis excipere.

N. Nollem autem, quod Benevolus Lector egrè ferret, quod aliquam opinionem retulerim, hodie improbabilem, Antiquioribus tamen probabilem. Nec enim est, quod de hoc queratur, tum quia in exemplis non requiritur veritas; nec enim hic disputatur, an hæc, aut illa opinio sit probabilis, sed hic unice discutitur, an modus resolvendi dubia per certam probabilitatem veritatis, suspensio omni iudicio directo de veritate, sit Modernorum Probabilistarum inventum, an inveteratus sapientioribus, & prudentio-

ribus antiquis Theologis resolvendi modum tum quia etsi aliqua relata opinio sit hodie improbabilis, vel quia damnata, vel quia opposita est hodie moraliter certa; attamen ætate, quâ citati DD. disputarunt, fuit valde incerta, & à pluribus asserta ut probabilis: ergo ex hoc, quod aliqua opinio ex relatis dicatur probabilis, cum tamen non sit, non inde sequitur vitium contra modum resolvendi dubium per solam probabilitatem, sed ad summum erit vitium in Authore dante probabilitatem opinioni non probabili.

SECTIO III.

Ex mente insigniorum Scotistarum.

§. I.

Selectiores aliqui ex Illust. Scoti Scholæ.

SUMMARIUM.

Alensis utitur solâ probabilitate, n. 106.
Angelus, n. 107.
Faber, n. 108.
Medina, n. 109.
Delgadillo solo iudicio reflexo de probabilitate resolvit, n. 110.
Coradua idem præstat, n. 111.
Villalobos, n. 112.
Emman. Rodriguez, n. 113.
Cronsfers, n. 114.
Brancasius, n. 115.
Bordonus, n. 116.
Falsum quod ait Coronus, Aristotelem non distinxisse inter probabile, & probabilis, & solum probabilis esse probabile, ibid.

Inter Scotistas chorum ducat Alexander N. de Ales ab Illust. Cornejo Doctor Doctorum merito in Chronica S. Francisci, di- fertissimo prorsus stylo exarata, appellatus; nec non Divi Thom. & Divi Bonav. Magister. Hic ergo 3. p. qu. 1. membr. 2. art. 1. defendit ut probabilem sententiam speculativam, quod in statu innocentie, eo brevi, quo innocentia vixit, tempore; in primis Parentibus fuerint à Deo instituta aliqua Sacramenta: ergo modus resolvendi dubia per solam probabilitatem est coetaneus Scholasticis.

Secundus est Angelus, cujus Summa ab N. ipsius nomine, & doctrinâ dicitur Angelica; hic igitur Author verb. *Luxuria n. 2.* ait: Non credo, quod mutet speciem, & sit circumstantia in confessione aperienda. Ecce utitur negatione iudicii directi; non enim ait, Credo, quod non mutet speciem, & credo, quod non sit circumstantia in confessione aperienda.

enda; sed ait, Non credo, quod mutet speciem, & quod sit aperienda: ergo juxta Angelum potest quis suspensio omni judicio directo de non mutatione speciei, & de non aperienda in confessione tali circumstantia, recte, & licite eam omittere, concepto solo judicio reflexo, vel quod mihi non sit certum; hoc enim significat tō *non credo*, vel quod mihi sit certo probabile talem circumstantiam non esse necessario aperiendam.

N. Tercius est Philippus Faber celeberrimus Theologus, & Probabiliorista, qui in 4. *diff.* 15. *qu.* 3. d. 52. *cap.* 9. n. 29. loquens de licentia repercussionis in percusso, ait: Hæc opinio mihi videtur probabilior intelligendo de incontinenti repercussione. Ecce in re sibi dubia, an percusso liceret repercutere, non profert judicium directum, sed prudentiam usque ad solum reflexum de objectivâ probabilitate sententiæ affirmantis licitam repercussionem unice recurrit. Hæc tamen opinio hodie est improbabilis.

N. Quartus est Michael de Medina Doctor Complutensis, qui *Codice de rebus restitendis per usuram acquisitis qu.* 3. ait: Et si mutans dicat, non mutuabo, nisi ultra fortem loco interesse aliquid certum solvat, quod hoc non sit de se illicitum, apparet ex dictis. Ecce non dicit, non est illicitum, ut apparet ex dictis, sed ait, apparet ex dictis, seu certo probabile, aut probabilius ex dictis mihi est, quod non sit illicitum. Utitur ergo judicio reflexo cadente supra probabilitatem, aut probabilitatem licentiæ.

N. Quintus est Delgadillo in docto suo Tomo de *Penitentia cap.* 1. querens, an Prælati Regulares vi Tridentini absolvere possint a casibus in Bullâ Cœnæ contentis, resolvit per probabilitatem; immo loquens de opposita Cardinalium Congregatione concedit esse quidem valde magnæ autoritatis; at non esse satis ad tollendam probabilitatem dictæ opinionis, quam gravissimi DD. docent. Verum hæc opinio est hodie prorsus improbabilis. Ad rem meam satis est ostendere, quod citatus Theologus plura dubia, præcipue, quæ hinc inde sunt valde incerta, resolvat per probabilitatem, aut probabilioritatem; quidquid deinde sit, an opinio, cui alterutram tribuit, talis sit.

N. Sextus est Corduba in suo *Questionario*, quem toties Probabilioristæ pro se citant. Cordub. *Ille igitur lib.* 1. *qu.* 23. *dub.* 11. §. *Igitur*. loquens de delectatione morosa, an necne sit mortale, ait, quod utraque opinio probabilis sit. Hodie tamen opinio negans esse mortale, est prorsus falsa; immo in Expurgatorio S. Inquisitionis asseritur non esse pro-

babilis, & quidem citato eodem Cordubensi. Ecce in re tam gravis momenti dictus Probabiliorista utrique opinioni tam affirmanti, quam neganti tribuit probabilitatem; immo, quod ad rem meam unice in præfenti facit, resolvit dubium per solam probabilitatem; ergo juxta hunc Probabilioristam, sub solo judicio reflexo de probabilitate licet operari.

Septimus est Villalobos in Summâ Hispanicâ, qui passim utitur solâ objectivâ probabilitate in dubiorum resolutione. Ita *tom.* 2. *tr.* 3. *diffic.* 2. n. 7. dubium de tempore, quo præceptum amandi Deum super omnia urget, per solam probabilitatem resolvit.

Octavus est Emman. Rodriguez, qui in *Summâ Hispanicâ* præ manibus ut plurimum habet solam objectivam opinionum probabilitatem. Idem dico de Basco in *Floribus Theologiae Moralis*, qui crebro ad certam, & solam probabilitatem recurrit, ut constabit vel solas ejus paginas obiter evolventi. Idem de Leandro à Murcia, qui vix aliud adeo frequenter usurpat in suis *Disquisitionibus Moralibus*, ac probabilitatem. Idem de Caspensi, qui *tom.* 2. *tr.* 27. d. 6. *sect.* 3. n. 25. sæpe solius probabilitatis objectivæ vestigiis insistit; querens enim *l. c.* an possit omitti monitio secreta, & revelari Prælato crimen, si melius sit correcturus subditum, solâ contentus est summâ probabilitate, dicens: Est probabilissima, tot SS. PP. & DD. Scholasticorum autoritate fulcita, immo oppositam censco non tam probabilem. Ecce quâ prudentiâ viri extremè pii, & austeritate celebres (etenim Basco, Leander à Murcia, & Caspensis ex præclaro PP. Capuceinorum Instituto exiierunt) in incertis procedant, etsi illis aliqua opinio sit probabilissima, non ideo obligant ad directum illius assensum, ut eam aliquis licite sequatur, nec oppositam probabilitate denudent.

Nonus est Croufers in *Regulâ D. Francisci*, qui ait: Probabile censco Hæreticum externum, qui saltem denuntiari non potest, non esse excommunicatum. At fallitur, quia dat probabilitatem opinioni omnino improbabili; etenim si non esset excommunicatus, absolvi posset, at non potest; ergo est excommunicatus. Non tamen fallitur utens prudentiori modo resolvendi incerta per probabilitatem, non per veritatem.

Decimus est Brancasius Probabiliorista, qui apud Mastr. in 1. d. 3. n. 15. relato modo, quo Deus cognoscit creaturas, ait *disp.* 16. *qu.* 10. *concl.* 1. hunc dicendi modum esse probabilem.

Unde-

N. Undecimus est Bordonus vir multiformis doctrinae, & in re morali, immo in utroque jure, ut ejus opera ostendunt, versatissimus; hic igitur Author in *Propugnac. Opin. Probabilis* cap. 3. n. 4. ait: Communis sententia est invincibilem ignorantiam excusare. Ecce judicium reflexum æquivalens huic directo, Invincibilis ignorantia excusat: & n. 13. sequitur nostram sententiam, quod actus sequens ad conscientiam invincibiliter errantem sit bonus, & pro eâ citat P. Sanch. lib. 1. cap. 12. n. 17. Cornejo, Malder. Lorcama, Palqual. *disp.* 63. n. 109. ergo (infero ego) erit etiam bonus actus sequens ad judicium invincibile de objectivâ probabilitate bonitatis: & cap. 4. n. 27. ait, quod sententia docens, hanc regulam, In dubio meliorem esse conditionem possidentis, locum habere etiam respectu aliarum virtutum, sit multum probabilis, & solidè, & breviter solvit argumenta opposita; quod idem facit cap. 30. & cap. 5. n. 10. ait omnes docere, quod quis esse debeat moraliter certus de probabilitate opinionis, ut licitè ponat opus; immo cap. 18. n. 50. etsi nobiscum sentiat, nullum requiri judicium reflexum de certâ licentiâ usus opinionis probabilis, sed ipsam opinionem subjective probabilem esse certam certitudine prudentialis veritatis, quamvis admitteretur, cuique opinioni intrinsecam esse formidinem actualem, ut supra dixerat n. 30. ex P. Vasqu. 1. 2. d. 62. cap. 5. n. 26. & 27. quia formido actualis non excludit assensum determinatum alterius partis: non ideo negat satis esse solum judicium reflexum certum de objectivâ probabilitate: & *Fundam.* 1. n. 7. rectè ait, quod probabilitas in opinione nec oritur à lege, nec à salute animæ, nec à commodo, nec ab utilitate, nec à libertate, nec à voluptate; (hæc enim omnia ad summum sequuntur ad probabilitatem) sed à solidâ ratione; & n. 37. rectè impugnat Cotonium Scotistam virum aliàs egregium, cujus humilitatem non minus, quam doctrinam miratus sum; non enim dignabatur vir doctus post sua Typis evulgata adire; immo quasi discipulus audire meos in Collegio Romano Theologiæ Magistros: hic igitur vir lib. 1. contr. 5. de *Consc.* cap. 5. dicit, omnes T. T. & Philosophos antiquos frequentius usurpasse probabile pro eo, quod est probabilius; & quod minus probabile, non putarint probabile. Sed ejus pace, contra illum stat tum textus Aristotelis, quem pro se citat, nam ait, ex *probabilibus*, ait, *magis*, ait, ut *plurimum*: ergo distinxit inter probabile, & probabilius; quod idem præstat in textu sæpe citato, dum ait:

Probabilia sunt, quæ probantur, aut omnibus, (ecce probabilissimum) aut pluribus, (ecce probabilius) aut certè sapientibus, (ecce probabile) aut iis, aut omnibus, vel plurimis, (ecce iterum probabilissimum, & probabilius) vel iis, quorum spectata est, & perfectâ sapientia: (ecce probabile) ergo Arist. distinxit inter probabile, & probabilius, nec solum probabilius putavit probabile. Tum quia stant contra eundem ferè omnes Doctores, quos dedi hæc *Disputatione*. Lege Bordon. *Fundam.* 1. n. 43. ad 65.

Sed magis ad rem accedamus. Bordonus N. in *Praxi Criminali* cap. 3. de *Visin. Regularium* 117. *sect.* 1. n. 49. respondens quæsitò ait: Prædicti potest probabiliter non comprehendi delicta occulta nulli nociva: & l. c. n. 68. dicit, quod verior, & probabilior sit sententia de non præmittendâ correctione fraternâ; etiam oppositam vocet communiorem: & *ibid.* *sect.* 4. n. 22. quærens, an delicta noxia communitati possint denuntiari, omittâ correctione fraternâ, ait: Est Divi Thom. & communis, quod possit. Ecce directè dicit quod alii dicunt, non quod alii dicunt. Et *ibid.* cap. 6. n. 1. ait: Est communis sententia sine contradictore: & *ibid.* cap. 19. n. 39. oppositam proprie vocat communissimam: & cap. 50. n. 19. Dicendum ex probabiliori opinione testem non teneri ad restitutionem ex culpâ veniali: & in *Sacro Tribunalis* cap. 9. de *Heresi* n. 50. ait, opinionem tuentem necessariam aliquam cognitionem de malitiâ, aut obligatione, distinctam à debito sciendi, ut quis peccet, esse veriorē. Abstineo à reliquis, quæ habet Bordonus in suis Tomis; quamvis enim pleraque quæsitâ resolvat directè, attamen aliqua non nisi reflexè, & plerumque indicat probabilitatem oppositæ, etsi ejus argumenta solvat; per illum autem licitum est omne certò probabile prædict.

§. II.

Reliqui ex subtilissimâ Familiâ Doctores.

SUMMARIUM.

Mastrius à n. 118. ad 124.

Plurima resolvit per probabilitatem veritatis, n.

119.

Ait necessarium non esse judicium de veritate, n.

120.

Resolvit per communitatem opinionis, n. 122.

Torrecilla plerumque appellat ad probabilitatem

objectivam, n. 125.

Franciscus de Ruvere Generalis, Cardinalis, &

Papa solâ probabilitate utitur, n. 126.

Corella ad solam probabilitatem convolat, n. 127.

Idem præstat *Nensser*, & *Porestatis*, n. 128.

Duo.